

heredes magistratum ut ipsi magistratus. Nam nec heres tutoris negligentia nomine tenetur. Nam magistratus quidem in omni periculo succedit; heres ipsius doli tantum & dolo proxima culpa succedaneus est, l. 4. ff. de mag. conv. l. 2. C. cod. Etenim si magistratus tanta fuit negligentia ut aut omnem cautionem omittet aut evidenter cum minus idoneis fidejussoribus contraheret, ipsum hoc casu loco fidejussoris habendum placuit, l. 6. cod.

TEXTUS.

Si tutor vel curator cavere nolit.

3. Quibus constitutionibus & illud exprimitur, ut nisi caveant tutores & curatores, pignori capis coercentur.

COMMENTARIUS.

Pignori capis] Pignora ideo dicuntur quia aliquandiu & donec aliquid fiat retinentur; quae pars fuisse videtur furtiva ditionis. Et sic in contumacia perseverent, removendi à tutela ut suspecti, l. 3. C. de susp. tut.

TEXTUS.

Qui dicta actione non tenentur.

4. Neque autem praefectus urbi, neque praetor, neque praeses provinciae, neque quisquam alius cui

LIB. I. TIT. XXV.

tutores dandi jus est hac actione tenentur; sed hi tantummodo qui satisfactionem exigere solent.

COMMENTARIUS.

1. An ipsi etiam magistratus majores cautionem exigere poterint.

Cui tutores dandi jus est] *Kar^o ἐξέχειν*, vel jus plenum & liberum, quae item habent proconsules ceterique quibus provinciae regendae commissae, l. 2. de tut. & cur. dat. l. 1. §. 1. ff. de mag. conv. alloqui & magistratus municipales jus dandi tutores habent, sed circumscriptum aut pendens ab arbitrio & jussu majorum magistratum, l. 3. d. tit. junct. §. 4. Inst. sup. de Atril. tut. Locus hic descriptus ex l. 1. §. 1. de mag. conv.

Qui satisfactionem exigere solent] Ut magistratus & defensores civitatum *ἢ ἐπαγογῆται ἢ ἐδικῶν τῶν πόλεων*. Theophil. Item Scriba praesidis vel praetoris, l. ult. C. cod.

1. Aut exigere solent. Potuine ergo & ipse praetor cautionem exigere? Et potuisse non dubito, l. 2. & 3. rem pup. ult. Igitur et praesides poterunt. Nasquam tamen reperimus in eos actionem subsidiariam dari sed contra, generaliter non dari; fortassis propter eminentiam dignitatis eorum; vel quia absurdum videtur eis qui sine satisfactione tutorem dare poterant, fraudi esse quod singulari erga pupillum affectu ducti, quo certius si cautum esset, fidejussores exegerint.

TITULUS XXV.

DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM VEL CURATORUM.

Dig. lib. 27. tit. 1. Cod. lib. 5. tit. 62. Et tit. 17. Part. 6.

Ratio ordinis, & quaedam negotiorum.

Tractionem de excusationibus & suspectis tutoribus in postremum hunc locum rejecit Justinianus, cum ageretur de modis quibus tutela finitur, §. ult. Inst. sup. quib. mod. tut. fin. Hoc tit. agit de excusationibus, sequenti & postremo de suspectis. Utramque autem etiam hoc argumentum promiscuum est, atque ex aequo ad tutores & curatores pertinet. Excusare se nihil aliud est quam justam causam apud magistratum allegare ad obtinendam à tutela sive delata si-

ve susceptae immunitatem. Ajo sive delata sive suscepta, nam excusationum usus est & ante & post susceptam administrationem ut ex sequentibus apparebit. Ajo justam causam, nam nisi excusatio justa atque ad eam constituta causa nitatur non est audienda. Etenim tutela munus publicum est, cuius ea conditio ut id nisi justa causa afferatur neque delatum detrectari neque susceptum deponi possit, l. 3. §. 1. & 4. l. 6. de mun. & hon. l. 1. & passim de vac. mun. l. 1.

DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM VEL CURATORUM.

1. de adm. tut. Causae excusationum varie sunt: hic octodecim fere enumerantur, plures in *π.* & Cod. hoc tit. Acque harum omnium quaedam certae sunt & legibus ita definitae, ut simpliciter sint recipiendae; cujusmodi sunt numerus liberorum, administratio fisci, absentia Reip. causa, &c. aliae arbitrariae, quae causa cognita à magistratu vel recipi vel rejici possunt; quales sunt verbi causa paupertas, adversa valetudo, impertitia literarum.

TEXTUS.

De numero liberorum.

Excusantur autem tutores & curatores variis ex causis; plerumque tamen propter liberum, sive in potestate sint, sive emancipati. Si enim tres liberos superstititer Romae quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in provinciis quinque à tutela vel cura potest excusari, exemplo ceterorum munerum; nam & tutelam & curam placuit publicum munus esse. Sed adoptivi liberi non prorsus; in adoptionem autem dati naturali patri prorsus. Item nepotes ex filio prorsus ut in locum patris sui succedant; ex filia non prorsus. Filii autem superstititer tantum ad tutelam vel curam muneris excusationem prorsus; defuncti autem non prorsus. Sed si in bello amissi sunt, quatuor est an pro sint. Et constat eos solos prodesse qui in acie amiserunt. Hi enim qui pro Republica acciderunt in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur.

L. 2. tit. 17. Part. 6.

NOTA.

Adoptivi liberi non prorsus] Olim proderant; quod morem reprehendit P. Scipio apud Gell. 5. cap. 19.

COMMENTARIUS.

Propter liberos] Romanis studium fuit ad matrimonia omnibus modis invitare, quod publice interesse credebant justa sobole repleri civitatem. Quam ob causam & pennis cotilibus, & maritos qui liberos suscepissent praeniiis affecerunt; quod effectum maxime legibus Julius de maritandis ordinibus, & lege Papia Poppaea, de quibus Cujac. ad l. 2. hoc tit. Lipsius in comm. ad 2. annal. ad verba Taciti de moderanda Papia Poppaea Horom,

in descriptione leg. Rom. Inter haec praevia immunitas fuit à muneribus civilibus, l. 1. in pr. & 2. §. 1. de vac. mun. ac proinde etiam à tutela & cura, l. 2. §. 2. ff. hoc tit. l. 1. C. qui num. lib.

Sive emancipati] L. 2. §. 2. hoc tit. l. 2. §. 4. de vac. mun. quippe haec immunitas non tam propter onus domesticum educationis liberorum conceditur, ut vulgo existimant, quam ut praemium & remuneratio *πολυπαιδίας* (parentum prole ditatum) De jure trium liberorum vid. Duar. 1. d. 19. 40. VINN. Et multo accuratorem M. Verriam, Maurum de jure liberorum. HAIN.

Tres liberos Romae, in Italia quatuor &c.] L. 1. C. qui num. lib. se exc. Hinc apparet discrimen aliquod loci adhuc relictum fuisse inter Latinos, provinciales, ceterosque cives qui urbem incolerent, etiam post constitutionem Antonini in l. 17. de stat. hom. quavis omnes ex ea constitutione effecti sint cives Romani, quod & alibi observare licet, §. 40. Inst. inf. de ver. div. & pr. tit. de usuc. itemque in pr. quib. al. lic. Quod autem de novam Romanam *ἐν Κωνσταντινουπόλει*, & Thraciam *ἐν Θράκιᾳ* VINN. Frustra hoc praemium parentum Vionius refert ad reliquas diversorum jurium Civitatis Latii & provinciarum. Hic enim non ad diversos status hominum respicitur, sed ad locum ubi quisque habitaret. Hinc civem in provincias quinque, provincialem Romae tres liberi excusabant. Simile privilegium pro diverso loco habitacionis diversum est in l. 2. C. Theod. de in integr. restit. Hinc nec principium Inst. quib. al. lic. hac pertinet. Alia enim est Italia, aliud solium Italicum, Illa Alpibus & utroque mari finitur; hoc ubicunque coloniae Italici juris occurrerant, erat. Vid. vir. cl. Schulting. jurispr. ant. Justin. p. 619. HAIN.

Exemplo ceterorum munerum] Personalium nimirum; nam à patrimonialibus muneribus, quae rerum & possessionum proprie onera sunt, numerus liberorum non excusat, l. 2. §. 4. l. 10. & seq. de vac. mun. neque ab honoribus muneribusque his coherentibus, d. l. 2. §. 1. nisi major sit, videlicet xvi. liberorum, l. 5. §. 2. de jur. imm. aut minimum xii. l. 24. C. de decur. quo tamen loco pro xii. substituendum esse xvi. existimat Gujac.

Publicum munus] Tutela proprie non est munus publicum; neque enim rem publicam sed privatam pupilli tutor tractat; nec Reip. peculiariter interest pupillis tutores dari, l. 2.

§. non in fin. ad municip. sed per consequentiam & improprie loquendo, quia ad curam publicam pertinent oibos ac pupillos tunc ac defendere, l. 2. §. 2. qui per. tut. Hinc facile intelligitur cur Modestinus neget tutelam esse manus Reipub. l. 6. §. 15. hoc tit. Aut quid si dicamus, ideo tutelam appellari manus publicam quia cuius est populo non secus ac cetera munera publice iungi potest.

Adoptivi liberi non prosunt] Quod & generaliter traditum est, d. l. 2. §. 1. de vac. mun. Et ratio est, quia haec beneficia patribus data sunt qui numero civium Reip. auxerunt. Meminit Tacitus 15. annal. cap. 19. Senatus-consulti facti tempore Neronis, quo cautum erat ne liberi adoptivi ad praemia patrum prodessent.

In adoptionem dati prosunt] Ex quo manifeste liquet quod paulo ante diximus, haec immunitatem magis esse beneficium *no. vera. eius* (multiplicitatis filiorum) quam levamentum oneris domesticis.

Neptes ex filio] Scilicet demortuo, l. 2. §. 7. hoc tit. nam ex filio emancipato nati aut ideo non prosunt quia ille ei prodest, & hi patris suo. Quod si plures sint ex uno filio nepotes non singuli singula capita constituunt, sed tantum universi, patremque omnes simul representant, d. hoc. quod & in ceteris muneribus obtinet, l. 3. C. de his qui num. lib.

Ex filia non prosunt] Non quia in avi materni potestate non sunt; nam nec emancipati nec in adoptionem dati in potestate patris manent, quos tamen potestate constat; sed quia diobus prodesse non debent: prosunt autem patri suo, antavo paterno, l. 2. C. qui num. lib.

Superstities] L. 2. §. 4. hoc tit. l. 2. §. 5. de vac. mun. quippe hi soli & Reipub. usui & parentibus oneri sunt. Defuncti non prosunt praeterquam bello amissi, d. 11. Quod Ulp. l. 8. hoc tit. & Justin. hoc de his accipi volunt qui in acie seu in praedio in *re. sup. p. t. a. m. i. s. u. n. t.* amissi sunt, propterea quod hi pro Reipub. cecidisse intelligantur & in perpetuum per gloriam vivere. Unde cum ex statu secundogeniti in iure primogenituræ praefertur filio primogeniti praemortui: responsum est hoc locum non habere si in acie primogenitus occubisset, Ayala lib. 3. de iur. bell. c. 7. n. 11. Qui vero per causam belli in obsidione & praesidiis, castris abipiuntur, huc non pertinent, d. l. 13. hoc tit. De his qui pro patria mortem oppetunt, praclare M. Tullius pro Planc. c. 37. & Philipp. 9. cap. 2. Liv. lib. 25. cap. 38. Diod. Sic. lib. 15. d. 2.

Et hanc edictis adhaerere per *causam. n. e. m. e. r. t. a. m.* (pro amico corpore in mortalem) sui memoriam relinquunt] in Lebonact. hortat.

TEXTUS.

De administratione rei fiscalis.

1. Item *divus Marcus* in semestribus rescriptis cum qui rei fiscalis administrat, à tutela & cura, quamdiu administrat, excusari posse.

L. 2. tit. 17. Part. 6.

COMMENTARIUS.

In semestribus] Cebra est semestrium D. Marci in libris nostris mentio. Auctor est Suetonius in Aug. cap. 35. Augustum semestria senatorum aliquot consilia sibi instruisse cum quibus de negotiis ad frequentem senatorum referendis ante tractaret. Dio. lib. 53. scribit, ex reliquo numero senatorum quidem decem ad hoc fere lectos esse *de. h. e. s. t. r. i. s.* quod exemplum Marcus s. curus videtur. Vid. Pet. Fab. in *prosa. semest.*

Res fiscalis] Vel etiam rem privatam Principis, l. 41. hoc tit. Huc referunt & exactores tributorum, l. 10. C. eod. colonos patrimoniales, l. ult. C. qui dar. tur. ceterosque quibus Princeps curam alicujus rei iunxit, l. 22. §. 1. l. 30. eod. tit. Vinn. Quin & vectigalium redemptores. Ripia de Rentas Reales §. 9. n. 47. ADDIT.

TEXTUS.

De absentia Reipublicæ causa.

2. Item qui Reipublicæ causa absunt à tutela vel cura excusantur. Sed etiam si fuerint tutores vel curatores dati, deinde Reip. causa abesse coeperint, à tutela vel cura excusantur quatenus Reip. causa absunt; & interea curator loco eorum datur, qui si reversi fuerint recipiant onus tutela: nam nec anni habent vacationem, ut Papinianus libro quinto responsorum scripsit: nam hoc spatium habent ad novas tutelam vocari.

L. 2. tit. 17. Part. 6.

COMMENTARIUS.

Reipub. causa absunt] Diff. l. 4. §. 2. hoc tit. Reip. causa abesse dicuntur qui publi-

DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM VEL CURATORUM.

1. Jures imperium & potestatem habere dicuntur; minores sine imperio & potestate esse, l. 32. de injur. l. 2. de in iur. voc. Atque in excellentiori hoc significatu verbum potestatis hic accipiendum esse ex eo perspicuum est quod adlitas à tutela non excusat, l. 17. §. 4. hoc tit. Magistratus tamen civitatum, *res. e. g. a. t. i. o. n. e. s. u. a. p. e. l. l. a. s. a.*, remiss onem à tutela habuisse aperte testatur Modestinus, l. 6. §. 16. eod. Add. Cujac. ad l. 4. in fin. eod. Ant. Fab. 1. jurispr. hoc tit. pr. 1. fil. 3. Vinn. Quamvis magistratus municipales à tutela excusati posse tradat Modestinus l. 6. §. 16. ff. de excus. obstat tamen videtur l. 3. ff. qui per. tut. §. 1. 23. pr. ff. de excus. ubi idem negari videmus; nisi Modestinum per *res. e. g. a. t. i. o. n. e. s. u. a. p. e. l. l. a. s. a.* duumvros, Paulum & Ulpianum reliquos minores magistratus municipales intelligere dicas. Sane & Romæ, cujus instituta fere imitabantur municipia, inter magistratus maiores & minores distinguebatur, quos de hoc privilegio erat quæssio l. 17. §. 4. ff. hoc tit. Hæc. Atque in hoc sensu Partic. Compilatores hunc textum acceperunt; solum enim in d. l. 2. excusantur *los que han de jugar i cumplir la justicia por obras id est qui jus habent gladii.* ADDIT.

3. Et qui potestatem aliquam habent re excusare possunt, ut *divus Marcus* rescriptis sed susceptam tutelam deservere non possunt.

Diff. l. 2.

COMMENTARIUS.

Potestatis vocabulum apud nostros aliquando large accipitur, ut iis etiam attribuitur qui cum magistratus non sint notionem tamen aut juris d. onem aliquam habent, ut in edificio quod quisque juris & c. l. 1. §. 1. item in l. 3. §. ult. de rec. arb. l. 3. in fin. ad leg. Jul. majest. Sæpe item ea vox significat publicam illam jubendi ac coercendæ auctoritatem que magistratum est, sed omnium communis; ut idem sit magistratus potestas & imperium. Et hoc est quod Paulus scribit l. 219. de verb. sign. potestatis vocabulo imperium in persona magistratum significari; ac proinde in hac significatione verum est etiam minores magistratus imperium potestatemque habuisse. Non numquam etiam *res. e. g. a. t. i. o. n. e. s. u. a. p. e. l. l. a. s. a.* soli magistratus ma-

gister imperium & potestatem habere dicuntur; minores sine imperio & potestate esse, l. 32. de injur. l. 2. de in iur. voc. Atque in excellentiori hoc significatu verbum potestatis hic accipiendum esse ex eo perspicuum est quod adlitas à tutela non excusat, l. 17. §. 4. hoc tit. Magistratus tamen civitatum, *res. e. g. a. t. i. o. n. e. s. u. a. p. e. l. l. a. s. a.*, remiss onem à tutela habuisse aperte testatur Modestinus, l. 6. §. 16. eod. Add. Cujac. ad l. 4. in fin. eod. Ant. Fab. 1. jurispr. hoc tit. pr. 1. fil. 3. Vinn. Quamvis magistratus municipales à tutela excusati posse tradat Modestinus l. 6. §. 16. ff. de excus. obstat tamen videtur l. 3. ff. qui per. tut. §. 1. 23. pr. ff. de excus. ubi idem negari videmus; nisi Modestinum per *res. e. g. a. t. i. o. n. e. s. u. a. p. e. l. l. a. s. a.* duumvros, Paulum & Ulpianum reliquos minores magistratus municipales intelligere dicas. Sane & Romæ, cujus instituta fere imitabantur municipia, inter magistratus maiores & minores distinguebatur, quos de hoc privilegio erat quæssio l. 17. §. 4. ff. hoc tit. Hæc. Atque in hoc sensu Partic. Compilatores hunc textum acceperunt; solum enim in d. l. 2. excusantur *los que han de jugar i cumplir la justicia por obras id est qui jus habent gladii.* ADDIT.

Susceptam deservere non possunt] Magistratibus qui antè se misceant administrationi, vacatio à tutelis non conceditur, d. l. 17. §. 1. hoc tit. in quo differunt ab iis qui Reipub. causa abesse coguntur, ut paulo ante dictum.

TEXTUS.

De lite cum pupillo vel adulto.

4. Item propter litem quam cum pupillo vel adulto tutor vel curator habet excusari non potest; nisi forte de omnibus bonis vel hereditate controversia sit.

Diff. l. 2.

COMMENTARIUS.

Iusta causa excusationis non est quod litem aliquam cum pupillo tutor habeat. Sed si iudicio agendum sit, qua tutor in rem suam auctor fieri non potest, curator interim ad hoc pupillo datur, qui iudicio peracto curator esse desinit, §. ult. Inst. sup. de auct. tut. At si de omnibus bonis plurimave eorum parte, aut de hereditate litem sit, æquum est excusationem tutoris recipi, ll. 20.

142
 & seq. hoc tit. Immo utile pupillo etiam nolentem se excusare à tutela removeri, d. l. 20. Non tamen in quavis disceptatione hereditatis simpliciter & sine cognitione causæ recepta fuisse videtur tutoris excusatio, arg. l. 16. C. eod. Hodie tota hæc questio inutilis. Nam *Novell. Justiniani consit.* 72. c. 1. vetatur quilibet creditor aut debitor pupilli tutor ejus esse. Dixi supra ad d. §. ult. *Instit. tit. de auct. tut.*

TEXTUS.

De tribus tutelæ & curæ oneribus.

5. Item tria onera tutela non affectata vel curæ, præstant vacationem quamdiu administratur; ut tamen plurimum pupillorum tutela vel cura eorumdem bonorum, veluti fratrum, pro una computetur.

Dicit. l. 2.

COMMENTARIUS.

Nemo ita onerandus est alienis negotiis ut sua ipsius negligere cogatur; adeoque & pupillorum interest tutorem non nisi multis negotiis implicari. Quamobrem placuit tria onera tutelarum, vel tria onera curarum, vel tria onera permixtarum tutelarum & curarum quartæ tutelæ curationisve excusationem præbere, l. 2. §. ult. & l. req. ff. hoc tit. l. un. C. qui num. tut. Sufficere item visum est tria ejusmodi onera esse in una domo, hoc est unam familiam tria onera tutelarum aut curarum sustinere; ac proinde & tutelarum numerum quas patet gerit filio, & quas filius gerit patri, & quas frater fratri qui in ejusdem patris potestate est ad excusationem processit, l. 4. §. ult. eod. modo tutelæ quas filii administrant spectent ad periculum patris, l. 5. eod.

Non affectata] Tutela affectata in numerum tutelarum non cedunt, l. 15. §. 15. eod. d. l. un. C. qui num. tut. Itaque sive quis lucrum captans ultero se tutelæ oblatit, sive tenentem *νικησιν* legis *institui* suscepit ut numerum trium expleret, à quarta non excusabitur, d. l. 5. §. 5. Sic enim verba Modestini: *επιμενεια γαρ τριων εισπραξως*, interpretor, *μενεια*, scilicet, *επιμενεια* (orbis) impis) vel *νικησιν* (id est quod ad substantiam res facultatem armet) ; ut non tutor pauper quemadmodum Haloander vertit, sed pau-

peris tutor iis verbis significetur; quam interpretationem & Theophilus juvat: nam Curtius verba Theophili, *επιμενεια εισπραξως*, perperam interpretatur esse, tutelam operantem, cum tenuissimam veterere debuerit, quod mirum est D. Gothofredum non ammadverisse.

Quamdiu administratur] Id enim maxime consideratur; in tantum, ut si aut priorum pupillorum ætas prope pubertatem sit, aut eorum quorum ad tutelam nunc prium tutor vocatur, excusatio non detur, l. 17. hoc tit. Hinc quoque est quod in numerum tutelarum non placet cedere si quis sit fidejussor tutoris, vel si magistratus municipalis tutorem dedit, licet periculum eos spectet, & magistratus in subsidium conveniri possit. Sed nec honorarius tutor periculum in numerum tutelarum imputat, l. 15. §. 2. eod. ad quem tamen quasi pars quedam administrationis pertinet; teneatur enim actus gerentis sollicitè observare, eumque si male versetur suspectum facere, l. 2. §. 2. de adm. tut. Enimvero tutor qui cessat in administratione tutelæ, eam ratione periculi in numerum trium computat, l. 31. in fin. pr. hoc tit. l. 60. de rit. nupt. nimirum quia qui cessat principaliter teneatur, & suo nomine, perinde ac si gessisset.

Pro una computetur] Tria onera non ex numero pupillorum aut adolescentium computantur, sed ex diversitate patrimoniorum rationumque & conficiendarum & reddendarum difficultate. Nam si tres sint fratres consortes, hoc est qui indivisum patrimonium habent, pro una tutela est; si tres dissortes, tres sunt tutelæ, ll. 3. & 31. §. ult. hoc tit. Idemque est & in aliis sive cognatis sive extraneis consortibus aut dissortibus, d. l. 31. §. ult. Sed & contra aliquando pupilli tutela ob eandem causam ad excusationem sufficere debet, si nimirum tam diversa negotiosa & molesta sit ut pro pluribus cedat d. l. 31. §. ult. cujus rei disquisitio ferè loco in arbitrio prætoris tutelarum ut ex eodem loco intelligitur, & hic notat Bachov. Add. Cujac. ad d. l. 2. eod.

TEXTUS.

De paupertate.

6. Sed & propter paupertatem excusationem tribui tam divi Fratres quam per se Divus Marcus rescripsit, si quis imparem se onari injuncto possit docere.

Dicit.

DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM VEL CURATORUM.

Dicit. l. 2.

COMMENTARIUS.

DESUMITUR hic locus est ex ll. 7. & 40. §. 1. hoc tit. Est autem hæc excusatio ex iis quoque quarum receptio aut repudiatio pendet à magistratu cujus de ea re cognitio est. Nam qui hæc excusationem utitur, docere debet se impari esse oneri injuncto, hoc est tam tenuis & nullius fortunæ ut vix sibi querere possit vitæ necessaria; quod judex eum æstimare oportet. Myns. Schneid. Wesemb. hic.

TEXTUS.

De adversa valetudine.

7. Item propter adversam valetudinem propter quam ne suis quidem negotiis interesse possit, excusatio locum habet.

Dicit. l. 2.

COMMENTARIUS.

ET hæc causa ex earum genere est quæ cognitionem magistratus desiderant; neque enim quæcumque valetudo excusat, sed ea quæ impedimento est quominus quis suis rebus superesse possit, l. 10. in fin. l. pen. §. ult. ff. hoc tit. l. un. C. qui morb.

TEXTUS.

De imperitia litterarum.

8. Similiter eos qui litteras nesciunt esse excusandos Divus Pius rescripsit; quamvis & imperiti litterarum possint ad administrationem negotiorum sufficere.

Dicit. l. 2.

COMMENTARIUS.

LITTERAS pro *καλδία* aut humanitate sæpe accipi notum est. Proprie tamen litteræ elementa significant, l. 11. §. 3. de instit. aff. l. 6. §. ult. de bon. poss. l. 1. §. 7. de var. & ext. cogn. Cic. pro Sylla cap. 16. *Litteræ posteritatis causa reperite sunt.* Hinc nescire litteras dicuntur qui ne elementarii quidem sunt, hoc est qui nec legere nec scribere didicerunt, l. 3. §. 2. ff. de accus. ll. 21. &

30. C. de testam. ut & contrario scire litteras qui scribere sciunt, l. 93. §. 1. ff. de acq. her. l. 10. C. qui test. fac. Suet. in Claud. c. 10. idque ex usu etiam aliorum auctorum ut multis docet Duar. i. disp. §. & vel unum illud Neronis apophthegma ostendit: *Velim nescire litteras*, de quo Seneca 2. de Clem. c. 1. Eandemque loquendi formam etiam Græcis familiariter fuisse argumento est verus illud proverbium quo Plato usus est, *delegib. νικησιν νικησιν, γρημυατα ιδιωα; (nec natare, neque litteras nescire)* Nec dubito quid Justinian. hic & Paul. l. 6. §. ult. eod. eodem modo hæc locutione utantur, ut nescire litteras iis sit neque legere scire, neque pingere; & imperiti litterarum Justiniano *αγρημυατα*, Modestino in d. §. idem quod *ακαταβητοι*. Nam dicere se studiis litterarum imbutum non esse & *ακαταβητος* (eruditionis deficiente) hic causari, sane quam ineptum est.

Quamvis & imperiti litterarum] Axioma discretum est: quamvis imperiti litterarum non sint negotiorum expertes tamen à tutela sunt excusandi. Cui per connexum contradicere videtur Paul. d. l. 6. §. ult. inquis: si imperiti litterarum non sint negotiorum expertes à tutela non sunt excusandi. Sant qui particulam *quamvis* hoc loco notam esse volunt exceptionis, contra perpetuum & certum latini sermonis usum. Alii nescire litteras Paulo esse non didicisse humanitatis expertes ad tutelam administrandam minus idonei videri debent. Fabulæ. Puto etiam litterarum ignorantiam ad classen ætium excusationum referendam esse quæ arbitrio magistratus nunc admittuntur, nunc rejiciuntur. Itaque quod Justinian. ait imperitos litterarum esse excusandos, non ita accipi velim quasi simpliciter & semper excusari debeant, sed causa cognita si forte tutela diffusior aut negotiosior ut propter rationum conficiendarum difficultatem ab imperito litterarum commode administrari non possit, quamvis is ad res alias gerendas sit idoneus; nam ut memoris omnia credat ab eo exigi non oportet; nec satis tutum vicaria aliorum opera in commentariis & epheemeridibus conscribendis uti. Quod si tutela non sit magni patrimonii *τορως*, aut alia satis expedita, cui gerendæ sufficiat quisvis non habeti ingenio neque expert negotiorum, nulla ratio est cur quis ob solam imperitiam litterarum ab ea excusetur. Atque ita Paulum tempero

in d. l. 6. §. ult. V. N. Quæcumque hic tradit auctor mire confirmantur prædicta Partit. lege, quæ etiam in hoc sensu hunc textum accepit. ADD. T.

TEXTUS.

De inimicitia patris.

9. Item si propter inimicitias aliquem testamentum tutorem patris dederit, hoc ipsum præstat et excusationem; sicut per contrarium non excusatur qui se tutelam administraturus patri pupillorum promiserat.

Dicitur l. 2.

COMMENTARIUS.

Propter inimicitias] Quo molestiam exhibeat inimico, *ita ἐπιβλάβος ἐστὶν καὶ πῆξινος*, ut subjiciatur litibus & negotiis, d. l. 6. §. 1. de test. 17. Nam si testator bona mente eum tutorem dedit cui inimicus antea infensusque fuit, hoc ipso videtur facta gratie reconciliatio. D. cam. plura inf. §. 11. hoc tit.

Non excusatur] Qui patri pupillorum tutorem se futurum promisit nulla excusatione gaudet, quamvis alias excusare se jure possit quasi excusationibus remittenda videatur qui ita fidem suam obligavit, l. 15. §. 1. hoc tit. l. 69. de test. tut. V. N. Sunt qui inde novum fingunt tutelæ pactitiæ genus. Sed frustra. Ejusmodi enim tutor vere est testamentarius quamvis promissio occasione patri dederit hunc tutorem dandi; & ita etiam intelligenda l. 29. fin. ff. de test. tut. In Germania tamen & illustrata & privata exstant tutelæ pactitiæ exempla, de quibus B. Strykius in *Usu. ff. lib. 26. tit. 1. §. 14.* & collega conjunctissimus olim Petr. à Ludewig. in *diuers. jur. Rom. & Germ. in tutel. diff. 4. Hein.*

TEXTUS.

De ignorantia testatoris.

10. Non esse autem admittendam excusationem ejus qui hoc solo utitur quod ignotus patri pupillorum sit Divi Fratres rescripserunt.

COMMENTARIUS.

Ignotus patri] L. 15. §. 14. hoc tit. Excipiunt DD. post Glossam hic nisi quis

d. cat. se ibi domicilium non habere ubi ad tutelam vocatus est, l. ult. §. ult. eod. Sed hoc genus est excusationis omnium commune.

Divi Fratres] Marcus Antoninus Philosophus & Ælius Verus, T. Antonini Pii filii, Hadriani nepotes, qui primi duo Augusti appellati & fastis consularibus sic inscripti sunt auctore Spartiano in *Ælio Vero* c. 1. Appellantur & fratres Imperatores, l. 33. de pæn. l. 38. §. 4. ad leg. Jul. de adult. vid. Ant. Augustin. lib. sing. de excus. ad §. 17. ἀπολαύτω 18. l. 6. hoc tit. & Cujac. *ibid.* Omittere addo, Divos à Jurisconsultis appellari Imperatores qui post obitum in Deos relati erant ea ἀποθεώσεως solemnitate quam describit Herodian. lib. 3. postquam & templa iis consecuti, ac sacerdotes & sodales creati, & ludii fieri, omnesque divini honores decerni solebant, ut ex Tacito, Tranquillo, Spartiano, Capitolino aliisque id genus auctoribus discimus.

TEXTUS.

De inimicitis cum patre pupilli vel adulti.

11. Inimicitias quas quis cum patre pupillorum vel adultorum exercuit, si capitales fuerunt nec reconciliatio intervenierit, à tutela vel cura solent excusare.

Dicitur l. 2.

COMMENTARIUS.

1. An homini Christiano conveniat ad excusationem tutelæ obtinere inimicitias.

Nunc de inimicitis paulo pluribus & distinctius agamus. Ait inimicitias capitales quas quis cum patre pupillorum exercuit, nisi intervenierit reconciliatio, solere excusare. Inimicitias capitales intelligo quacunque graves, quæ vel vitam vel libertatem vel excusationem petunt, arg. l. 103. de verb. sign.

1. Sunt qui existimant hujusmodi excusationem minus convenire homini Christiano. Neque enim recte videri tutorem dicturum non debere se cogi beneficiare homini inimico & de se male merito, aut liberis ejus quæ sententia ethnicis fortassis conveniat, aut veteribus illis quorum meminit Christus *Matth. cap. 5. v. 41.* qui legem Domini sic accipiebant: *Dilige proximum tuum, & odio ha-*

DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM VEL CURATORUM.

TEXTUS.

De atate.

13. Item major septuaginta annis à tutela cura se potest excusare. Minores autem vigintrique annis olim quidem excusabantur; nostra autem constitutione prohibentur ad tutelam vel curam adipirare, adeo ut nec excusatione opus sit. Quæ constitutione cavetur ut nec pupillus ad legitimam tutelam vocetur nec adultus; quomodo sit incivile eos qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere nocebantur & ab aliis reguntur aliorum tutelam vel curam subire.

Dicitur l. 2.

COMMENTARIUS.

1. Duplex Triboniani error in explicatione juris veteris animadvertitur.

Senes æque ac magistratus Veteres reverentia consistebat in assurgendo, in loco dando ac cedendo, domo deducendo ac deducendo. Juvenalis *satyr. 13. v. 54.*

Credebant hoc grande nefas & morte piandam, Si juvenis vetulo non assurrexerat.

ADD. Valer. l. 2. c. 1. Cic. 1. off. c. 34. Gell. lib. 2. c. 15. Fuit etiam venerabilis senectus excusatione honorum & vacatione munerum personalium. Ab honoribus excusabant anni 60. in urbe. Senec. de brev. vit. c. 20. *Lxx* à quinquagesimo anno militem novæ cogit & sexagesimo senatorem non citat. Idem tamen 2. *controv.* annos 65. exigit. A decurionatu excusabant anni 55. l. 11. de decur. à tutelis ceterisque muneribus personalibus anni 70. l. 3. de jur. in man. l. 2. ff. hoc tit. l. un. C. qui atate se exc. In l. ult. C. qui atate vel profus. pro LV. legendum LXX. ut contextus ostendit, & monet Cujac. Ceterum hæc ita procedebant nisi aliter consuetudo vel lex municipalis definiret, d. l. 11. de decur. l. 2. de vac. man.

Major septuaginta annis] In immunitatibus conceptus annus pro completo non habetur. Quamobrem ad vacationem tutelæ non sufficit ingressum esse aut agere annum septuagesimum, sed egressum esse oportet, l. 2. hoc tit. l. 3. de jur. in man.

Minores olim quidem excusabantur] Hic locus

velis inimicum tuum. Christianis & piis non convenit. Et sane ita est, nisi ratio afferatur cur inimicitie excusare debeant; qualis hic occurrit, videlicet ut liceat sinistram suspicionem hoc obtentu vitare, & antevenerit remotionem. Ait, cum patre pupillorum. Idem est si pupillis ipsis vel adultis inimicus sit, l. 3. §. 12. de susp. tut. Ait, nec reconciliatio intervenierit. Reconciliatio aut aperte intervenit, ut si post ortas inimicitias in gratiam redierint; aut tacite, si eum cui pater juste infensus antea erat postea testamentum suo tutorem scripserit: nam si hoc bono animo fecerit, non ut litibus eum implicaret, injuriam ei hoc ipso remisisse videtur, l. 6. §. 17. hoc tit. Plane si ipse pater causam inimicitis dedit, puta quod eum quem tutorem dedit aliquando capitis accusaverit, aut insigni contumelia affecerit, ad excludendam excusationem necessaria est aperta reconciliatio, arg. §. seq. Nam illius est remittere injuriam, cui illata est. Ait, solent excusare. Et merito; nisi enim hujusmodi tutores & curatores ultra se excusent, inviti removenentur, d. l. 3. §. 12. de susp. tut.

TEXTUS.

De statu controversia à patre pupilli illata.

12. Item si quis status controversiam à pupillorum patre passus est excusatur à tutela.

Dicitur l. 2.

COMMENTARIUS.

Si tutor status controversiam à patre pupilli passus sit, id est si eum pater in servitutum petierit, hoc par interdictum ac si capitis accusasset, l. 14. ff. de bon. libert. & hic tutor omnimodo excusandus, etiamsi pater eum postea testamento tutorem dederit, ut jam diximus. Is etiam excusatur à tutela qui talem controversiam movet pupillo serio & bona fide, non dedita opera ne tutelam subeat, & calumnie causa: quod ex rescripto Marci & Veri (ita legendum esse textus Græcus ostendit) proponitur in l. 6. §. 18. hoc tit. V. N. Sed non solum ad statum libertatis restringendus videtur hic §. verum etiam si quis alterum civem vel filiumfamilias negasset, huic tutela liberorum actoris obrudi haud potuisse videtur. HEIN.

Tom. I.

cus & constitutio Justiniani in l. ult. C. de leg. tut. multis impositus. Constat minorem 25 annis testamentum tutorem recte dari, sed ita datum perinde haberi ac si sub conditione aut ex die data esset cum major 25 annis factus fuerit; ut interim nec tutelam administraret nec ullo effectu pro tutore habeatur, §. 2. Inst. sup. qui test. tut. l. 32. in fin. de test. tut. sed alius tutor aut curator interim à magistratu datur, qui tutor aut curator esse desinit existente conditione, hoc est post legitimam tutoris testamenti dati ætatem, l. 10. §. pen. hoc tit. §. 1. sup. de Atill. tut. Legitimos tutores nemo dat, sed lex eos facit tutores, l. 5. de leg. tut. Atque uti quisque proximus est agnatus ita ipso jure ex lege tutor est, quamvis potestas administrandi demum post perfectam ætatem ei deferatur, l. 16. §. 1. de tut. l. 4. §. 8. de leg. tut. Quare si agnatus pupilli proximus minor erit 25 annis jure agnitionis & successionis ex lege tutor est; sed quia jus administrande tutelæ ante justam ætatem non habet curator interim ad hoc à magistratu dabitur, §. ult. sup. de curat. d. l. 10. §. pen. hoc tit. qui locus simul confirmat quod dixi, cum ipso jure pro tutore esse; alioqui non à magistratu alius interim daretur, sed insequentis gradus agnati protinus in tutelæ administratione succederent, arg. l. 3. §. pen. de leg. tut. Revisæ qui scripsi ad §. ult. Inst. sup. de cap. dem. A magistratu tutor sub conditione aut ex die dari non potuit, l. 6. §. 1. de tut. Ergo nec minor 25 annis; quippe qui dationi insit dies aut conditio cum major erit, §. 2. Inst. sup. qui test. tut. l. 10. §. pen. §. ult. de test. tut. Quapropter si tota datio non consistit, nec è τῆς νέμεως (in minorennitate) pro tutore ullo effectu habebitur, ac ne quidem post ἀξίαν (æstatis vigorem) tutor erit; ideoque consulto de testamentario & legitimo duxerunt Modestianum d. l. 10. §. pen. de excus. locum esse existimandum est. Nunc videamus quid hic novi construerit Justinianus. Aut minores 25 annis olim quidem excusatos fuisse, se autem constitutione sua cavisse ne omnino minor aut detur tutor aut ad legitimam tutelam vocetur, d. l. ult. C. de leg. tut. De legitimis & dativis loquitur constitutio; liberam patris voluntatem testamento de tutela caventis non eorcraft.

1. In eâ autem constitutione atque hoc loco duplex Tribonianus error in explicatione juris veteris animadvertitur. Unus est quod putaverit jure veteri periculo minoris cui le-

gitima tutela delata erat curatorem interim datum tutelam administrasse, ut patet ex ratione quæ affertur in princ. constitutionis. Alter quod minorem à magistratu tutorem dari posse crediderit sed excusandum fuisse; quasi vel omnia excusatione ipse minor tutelam gerere potuerit, ut alius simul à magistratu dandus fuerit qui interim periculo minoris gereret. Quæ omnia tam absurda & à ratione juris veteris aliena sunt, ut mirum sit Cujacium, Hotom, Wesemb. ipsamque adeo custodem Triboniani Ant. Fabrum hic dormitasse. Quod si quid novi hic constitutum videri possit, erit illud unum quod Bachovius existimat, ut jam non amplius agnato proximo, si minor sit, tutelæ legitima ullo modo deferatur; sed ea ætate insuper habita soli ex agnatis proximis tutores fiant qui sunt perfectæ ætatis; ac si proximi omnes minores sint, ut sequentes vocentur, quos olim exclusos fuisse, ac ne durante quidem ἀφραξία (minorennitate) proximi ad administrationem tutelæ admissos jam ostendimus. VERN. Ego vero non ausim Justinianum tam supine ignorantiæ arguere. Certissimum est Veteres non solum minores sed & impuberes admisisse non solum ad tutelam testamentariam verum etiam ad legitimam. Clarissime id liquet ex Ulp. in frag. tit. 11. §. 20. §. 22. quamvis interea dum adoluerent prætor alium tutorem daret, nisi se excusaret. Impubem à magistratu dari non potuisse facile concesserim; at de minore viri dubito, cum sumta toga virili puberes ad officia virilia admitti solerent. Postquam vero hæc mutavit Justinianus, leges antiquiores Tribonianus juri novo more suo accommodavit, veluti l. 16. §. 1. ff. de tut. l. 4. §. 8. ff. de leg. tut. l. 1. ff. de fiduciis. §. nominat. idque & Cujacius ad tit. Inst. de fiduc. tut. & vir cl. Ant. Schulting. Jurispr. Ant. Justin. p. 601. fatentur. Aliis argumentis Tribonianum contra Vinnium defendit Ulp. Huber. digest. 103. cap. 24. Hæc.

Nec pupillus.] Si verum est quod diximus agnatum proximum quamdiu minor est tutelam gerere non posse, inepte atque inutiliter videretur queri an pupillus ad legitimam tutelam pupilli sit vocandus. Nam etsi singamus alterum infantem esse alterum pubertati proximum, exiguum tamen tempus superfuturum est administrationi, Et in l. 10. §. pen. hoc tit. non de impubere queritur sed de adolescente sive minore 25 annis: nam ἀφραξία qui & ἀνολία, Græcis non est ἀνολός, sed

sed νῆος, hoc est adolescens, τῶν ἰδίων ἀνολοῦσθαι, ἢ ἀλλοτρίων δὲ ἰσχυρῶς ἐπινοῦσθαι (pubertatem quidem egressus, viginti quinque tamen annorum minor) ut passim apud Theop. & Harmen. Quam incivile sit] Hæc ratio nihil aliud efficere videtur quam ut ne minori tutelæ administratio permitatur. Atqui nec jure veteri ac minori permissa fuit. Sed ut dixi, falso creditur Justinianum periculo minoris interim tutelam ab alio administrari solitam; nam ideo se jus vetus mutasse scribit, ut cuique imminet pro sua tantummodo administratione periculum, ne alieno onere alius pragraveatur. Itaque tutelam vel curam subire hoc loco dixisse existimari potest, pro, periculum tutelæ ab alio administrandæ sustinere.

TEXTUS.

De militia.

14. Idem & in militia observandum est, ut nec volens ad tutelam onus admittatur.

L. 3. tit. 17. Part. 6.

COMMENTARIUS.

Militæ armatæ militiæ ad instar minorum ne volentes quidem ad tutelam aut curam gerendam admittuntur, l. 4. C. qui dantur. l. 8. C. de legat. ne videlicet propter privata negotia à numeris & signis avocentur. Quam ob causam nec procuratores esse possunt, l. 8. §. 2. ff. de procur. nec aliena prædia conducere, l. 31. C. de loc. & cond. Quatenus veterani, hoc est qui militia honestè dimissi & sacramento soluti sunt, vacationem tutelaram habeant copiose disputatur l. 8. §. seqq. hoc tit.

TEXTUS.

De Grammaticis, Rhetoribus, & Medicis.

15. Item Romæ Grammatici, Rhetores, & Medici, & qui in patria sua has artes exercent & intra numerum sunt, à tutela & cura habent vacationem.

L. 3. tit. 17. Part. 6.

COMMENTARIUS.

Stadium liberalium professores Grammatici, Sophistæ, Rhetores qui publice juventuti prosunt, item Medici quemadmo-

dam à reliquis muneribus ita & à tutela & cura vacationem habent, l. 6. §. 1. ff. hoc tit. & tit. C. de profess. & med. Habent & Philosophi, d. l. 6. §. 5. Musicos, quoniam eorum ars ingenua sit & liberalis, non habere tradit Cujac. in d. l. 6. §. 1. allegans l. 5. C. de excus. mun. quo loco pro Hydraulæ videtur legisse Musici. Nec Poetæ habent, l. 3. C. de profess. & med. licet divini spiritus mereantur. Legum quoque Doctores non habent, exceptis iis qui Romæ doctores, d. l. 6. §. 12. ff. hoc tit. Ceterum ex constitutione Constantini omnes habent, l. 6. C. de profess. & med.

Qui in patria sua] Professores & Medici ita demum hac immunitate gaudent si in patria sua doceant aut medeant, non in aliena. Est autem duplex patria: una propria sive originalis; altera communis quæ est Romæ docent etiam Romæ nati non sunt immunitatem habent, l. 9. de vac. mun. sive salariarii sint sive non sint, l. 6. §. 11. ff. hoc tit. Atque hæc ex tribus una est conditio ad obtinendam immunitatem necessaria, d. l. 6. §. 9. hoc tit.

Intra numerum sunt] Condicio altera; non aliter enim hac immunitate fruuntur magistri studiorum quam si probati decreto Ordinis, & numero constituto adscripti sint, d. l. 6. §. 4. ff. hoc tit. l. 5. 7. & 8. C. de profess. Certus enim numerus eorum qui vacationem haberent in utraque civitate lege definitus erat, d. l. 6. §. 2. præterquam philosophorum, ἢ τὰ τῶν σπουδῶν ἴσται τοῖς φιλοσοφώταις (quod rari essent vel ob eorum varietatem) d. l. 6. §. 6. quem numerum excedere non licebat, d. l. 6. §. 3. nisi quia propter excellentiam præstantiamque doctrinæ, & ἀξίαν ἰσχυρῶς, immunitate supra numerum donaretur, d. l. 6. §. 10. VERN. Quæcumque hic auctor, confirmata sunt in d. l. 3. tit. 17. Part. 6. præterquam quod, ut Doctores legum excusentur, requiritur quod aut Judicium aut Consiliariorum fungantur officio. ADPR.

Est & tertia conditio hic ommissa, ut bene & sedulo suo munere fungantur, sequæ adolescentibus utiles præbent; alioqui denovo ab Ordine reprobantur possunt, d. l. 6. §. 6. l. 2. & 8. C. de profess. l. 11. §. 3. de mun. & bon. Colligunt hinc DD. studiosos qui gnæviter literis non incumbunt, etiam in catalogum relati sint, privilegii Scholærum gaudere non oportere; cessante scilicet ratione inductiva privilegiorum, secundum Aldobrand. n. 19. Schneid. n. 6. hic, quamquam

vix est ut hoc obtineat: consule Wames. cent. 1. cons. 40. Christin. vol. 5. decr. 36. & 49. n. 14. & reg. VINN. Inter eos qui ex privilegio à tutela excusantur, renuntiandus est qui duodecim equas ventris causa habuerit, l. 3. tit. 17. lib. 6. Recop. Neque abs re hoc loco erit notare rescripta à Rege ut plebeij (pebderi) à tutela excusentur, irrita declarari, l. 2. tit. 14. lib. 6. Recop. ADDIT.

TEXTUS.

De tempore & modo proponendi excusationes.

16. Qui autem vult se excusare, si plures habeat excusationes & de quibusdam non probaverit, alii uti intra tempora constituta non prohibetur. Qui autem excusare se voluit non appellat, sed intra quinquaginta dies continuos ex quo cognoverint se tutores vel curatores datos se excusare debent, cujuscumque generis sint, id est qualitercumque dati fuerint tutores, si intra centesimum lapidem sint ab eo loco ubi tutores dati sunt. Si vero ultra centesimum lapidem habitant, dinumeratione facta viginti millium diurnarum, & amplius triginta dierum; qui tamen, ut Scævola dicebat, sic debent computari ne minus sint quam quinquaginta dies.

L. 4. tit. 16. Part. 6.

COMMENTARIUS.

- 1 Utrum post constitutionem D. Marci adhuc immediate à delatione tutelae appellari possit.
- 2 Ex quo tempore 50. dies excusationi alleganda contritui curre incipiunt.
- 3 An causa excusationis per procuratorem agi possit.
- 4 Etiam tutores legitimos excusari.

Alii uti non prohibetur] Ex Marciano l. 21. §. 1. hoc tit. Est enim excusatio species quaedam exceptionis; nemo autem prohibetur pluribus exceptionibus uti, l. 8. de excus. l. 43. de reg. jur. Sed an qui plures excusationes habeat eas omnes simul proponere & contestari debeat quaeritur; & putat Gloss. hoc necesse non esse. Sed verius est omnes initio contestari oportere, ne aliqui tutor negotij trahendi causa novas postea exequeret; & est textus in l. 13. §. 8. hoc tit. Om-

nibus autem propositis vel unam probare sufficit ad victoriam.

1. Non appellant] Hoc enim D. Marcus effecit. Nam cum antea non minus à delatione tutelae quam alterius muneris appellaretur, Marcus Antoninus tutelam à ceteris muneribus ita secrevit, ut tutor datus non amplius refectà à datione provocaret; sed si quas se habere putaret justas excusationis causas, eas intra praestinta tempora proponeret, quas si iudex rejecisset, tum demum licentiam appellandi haberet; qui vero ad alia munera vocarentur, illi non aliter quam olim, hoc est quam appellatione interposita allegare possint causas immunitatis suae, l. 1. §. 1. & 2. quod. appel. Igitur si qui sunt loci in quibus tutores dati provocasse proponuntur, ut in l. 4. hoc tit. l. 39. §. 6. de adm. tut. l. 2. & 28. de tur. & cur. dat. l. 17. §. 1. de appel. illi non sic accipiendi sunt quasi ab ipsa creatione tutoris (immediate) applicassent, sed à rejectione excusationis intra praestitutum tempus allegatae. Neque obstat quod Modestinus scribit in l. 16. hoc tit. tutores etiam citra appellationem se excusare posse; aut quod idem Modest. l. 13. ff. eod. & l. imp. l. 18. C. end. tutores datos non necesse habere appellationem interponere, & quasi si velint adhuc provocare possint. Nam hujusmodi collectiones ut semper necessariae non sunt, ita haec minime hoc loco admittenda: tutores necesse non habent appellare: ergo si velint possunt. Necesse enim non habent ut olim ante constitutionem D. Marci; nunc ne possunt quidem, & frustra ante propositam & repulsam excusationis causam appellant, d. l. 1. §. 1. quod. appel. qui locus tam clarus est, distinguens hac in parte tutelam ab aliis muneribus publicis ad quae vocatur contra privilegium illico appellat, ut ex eo alii loci omnes sint declarandi. VINN. Atque hoc jure utitur, l. 8. tit. 23. Part. 3. ADDIT. Est vero hoc argumentum nihil hic tutorem causa constitutum esse. Convenientius fortasse visum est aique aequius ut qui tutorem dedissent ipsi prius de causa excusationis summam cognoscerent, eamque vel acciperent vel repudiarent, cum nihil eorum intersit tutorem ille sit an alius, quam ut sciam, quasi rejecta causa excusationis quam nunquam audiverunt, superior provocaretur. In tutoribus testamentariis & legitimis etiam hoc absurdum videtur. At in delatione alius muneris, puta si ab Ordine aut dumviris aliquis decurio aut scriba nominatus sit, quia eorum

qui

DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM VEL CURATORUM. 149

qui nominaverunt interest nominatum munus delatum suscipere, ipsi quodammodo pars sunt, & in sua causa iudices constituerentur si excusationes apud eos allegandae & probandae forent; quod hic notat Jo. Fab.

Intra quinquaginta dies continuos] Proponendae & contestandae excusationi 50. dies continui constituti sunt, l. 13. §. 1. & reg. hoc tit. peragendo negotio continui quatuor menses, l. 38. eod. Dicuntur dies continui qui continuo, id est *evmptias*, continenter & sine interruptione nullisque exemptis currunt; ad discrimen utiium è quibus subducuntur omnes dies quibus experiundi juris sui potestas non est, l. 2. de div. & temp. praer. de quo fortassis alibi plura.

2. Ex quo cognoverint] Quinquaginta dies excusationibus profertendis constituti tutoribus & curatoribus non cedunt ex quo dati sunt, sed ex quo cognoverint se tutores aut curatores datos esse, d. l. 13. §. 9. ff. hoc tit. l. 6. C. eod. l. 3. de verb. sign. Atque ex eo tempore si cessent suo periculo cessant, l. 1. §. 7. de adm. tut. ut tamen is ignoscatur qui valitudine aut vi tempestatis aliaev simili causa impediti constituto tempore non venerint, d. l. 13. §. 7. Porro nec antea quam à die cognitionis cedere existimo quatuor illos menses disceptando & finiendo excusationis negotio constitutos; ne aliqui contingat ut incipiat, quod perquam esset absurdum. Nec est contrarium quod Paulus in d. l. 38. hoc tit. menses illos ex die nominationis numerat; nam Paulo eo loco idem dies est nominationis & cognitionis; quippe qui solum excludere vult tempus quo allegata sit excusatio; quasi dicat quatuor illos menses non currere à die propositae excusationis, quod videri poterat, sed à die nominationis, cognitae scilicet, non factae. Ant. Fab. i. Jurisp. hoc tit. pr. 1. illat. 7.

se excusare debent] Non solum venire tutor & adire iudicem intra 50. dies debet, sed necesse est ut intra id tempus se excuset, id est causam excusationis speciatim alleget & contestetur: quam etsi forte mox non persequatur, nihilo tamen magis ei obstat praescriptio 50. dierum, cum ad negotium peragendum ei adhuc supersint 70. dies: nisi *acquiescentia* *re*, hoc est defunctorie, perfusorie, aut, ut Contius verit, dicis causa adierit, ut desisteret statim & adversarium traheret, d. l. 13. §. 6. Contestanda autem est excusatio vel in jure ad tribunal praetoris, vel apud acta, vel *κατάθεσι*,

id est de plano per libellum, d. l. 13. §. 10. Nam etsi tutor per libelli obtentionem & subscriptionem non excusatur, l. 25. eod. eo quod excusatio pro tribunali disceptanda & excutienda est, quia opus est decreto, per leg. 9. §. 1. de off. proc. l. 71. de reg. jur. tamen ad submoventem praescriptionem contestatio vel per libellum facta sufficit. Illud non satis expeditum est an & absens tutor excusari possit. Negat Accurs. quem sequuntur Per. Fab. ad l. 70. de reg. jur. & Ant. Fab. d. illat. 7. itemque Bachov. in Treutl. volum. 2. disp. 9. tom. 1. litt. B. Mihi contraria sententia, quae Cujacii est, verior videtur per textum l. 19. C. de adm. tut.

3. Neque video quid obstat quominus causa excusationis per procuratorem agatur. Opposita sunt per libellum & pro tribunali non per libellum & in praesentia: nam & praesens libellum offerre potest.

4. Cujuscumque generis sint, id est qualitercumque dati] Sive igitur testamento dati sint, sive à magistratu, sive à lege ad tutelam vocati; nam & legitimos tutores excusari verius est, l. 3. §. 8. de leg. tut. l. 20. ff. hoc tit. l. 1. C. de leg. tut. l. 9. C. qui dar. tut. arg. l. 2. §. 5. hoc tit. Quibus locis eorum sententia manifeste refellitur qui putant legitimos tutores se excusare non posse nisi & removeri possint, aut ad tempus dimittantur; quo in numero sunt Hotoon. & Giphani. hic. Cujac. ad d. l. 13. VINN. Unde recte Theophilus παραφρασεως εἰς τὴν ἀνατολίαν εἰς τὴν ἀνατολίαν Theophilum contra Cujacium & Giphanium accurate defendit Ulr. Huber. praed. ad Inst. hoc tit. §. 20. HEIN.

Intra centesimum lapidem] Ad professionem excusationis 50. dies dantur si is qui tutor datus est sit in eadem civitate vel intra centesimum lapidem; si ultra sit, ad vendendum dantur singuli dies in singula 20. millia, praeterea 50. dies; ita ut computatis millibus & illis triginta, tutor non pauciores habeat quam quinquaginta; quod latius prosequitur Modest. d. l. 13. §. 1. & reg. Obiter addo lapidem pro millario sive mille passibus accipi; quae appellatio inde manavit quod singula miliaria singulis lapidibus sive columnis lapidis spatioium signa inscripta habentibus Tib. Gracchus, auctore Plutarcho in Graccho d. l. 838. distinguerat. Initium autem & finem omnes viae Italiae capiebant ab aurata illa columna quae Romae in capite fori ad aedem Saturni posita erat, nimirum ab aureo illo urbis miliario

mo-

nominentis Veterum tantopere nobilitato. Viti. Adiri ea de re debet Bergerius de viis militaribus, ubi hac & alia plena manu feruntur. Hein.

TEXTUS.

De excusatione pro parte patrimonii.

17. Datus autem tutor ad universum patrimonium datus esse creditur.

COMMENTARIUS.

Arbitor cum DD. Hotomanno & Wesemb. §. hanc mutilum esse, & decernam ex Marciano §. 1. 2. §. 1. hoc tit. Hoc autem indicare velle Justinianum, tutorem qui pro parte bonorum se excusat audiendum non esse, & quippe qui non parti bonorum sed universo patrimonio datus intelligatur: cujus regulae exceptio traditur d. 1. 21. nisi se excuset ne ultra centesimum lapidem in aliena provincia tutelam gerat.

TEXTUS.

De excusationibus propriis curatorum. De tutelæ gestione.

18. Qui tutelam alicujus gessit, invitatus curator ejusdem fieri non compellitur; in tantum licet paternis familiaris qui testamento tutorem dedit adjectis se eundem curatorem dare, tamen invitatus eum curam suscipere non cogendum Divi Severus & Antoninus resciverunt.

L. 3. tit. 17. Part. 6.

COMMENTARIUS.

Quæ præcedunt causæ excusationum tutelæ cum curatione communes sunt. Sequuntur duæ propriæ curationis, quarum una proponitur hoc §. altera §. seq.

Curator ejusdem fieri non compellitur] Romanis ad excusationem curationis adulti satis visum est ejusdem pupilli tutelam gessisse, l. 20. C. de excus. tut. quasi nimis durum sit genino unius personæ onere premi. VINN. Sed vereor an hæc apud nos obtineant per ea quæ superius monuimus. ADDIT.

Adjectis se eundem curatorem dare] Licet alias curator testamento datus à prætor confirmari solet, sup. tit. Inst. de curat. §. 1. Excipiunt Veteres ob beneficium libertatis ac-

ceptæ libertum quem patronus liberis suis tutorem & curatorem dedit, l. 1. §. C. eod. nisi de sua pecunia emtus & manumissus sit, aut ex fideicommissio libertatem acceperit; nam in hujusmodi libertos nihil juris patronus consequitur, excepto quod sine venia in ius ab iis vocari non debeat, l. 14. §. 3. l. 24. ff. hoc tit.

TEXTUS.

De marito.

19. Idem rescripserunt maritum uxori suæ curatorem datum excusare se posse, licet se immisceat.

Diç. l. 3.

COMMENTARIUS.

1. Quorum rerum uxoris maritus curator esse prohibeatur.

2. Jurisconsultos verbo excusandi sepe abuti.

Altera causa excusationis, propria curationis in marito uxori suæ, puta minori 25. annis aut mente capte, curatore dato. Ait curatorem datum. At quorum bonorum? Nam dotis etiam dominus jure civili maritus est, inf. tit. Inst. quib. al. l. 1. §. C. de rei vind. Si de jure veteri queritur, non est dubitandum quin omnium quæ extra dotem mulier habet, quæ Græcis παράφρα (parapherna) dicuntur, licet expresse usum earum rerum sibi non receperit ac reservavit. Hoc enim & causæ prohibendi convenit quam mox afferemus, & sententiæ veterum constitutionum in distincte loquentium, l. 2. C. qui dat. tut. l. 4. & 17. C. hoc tit. l. 3. C. de interd. matr. Potuit sane mulier quæ perfectæ ætatis esset marito rerum omnium quas extra dotem haberet administrationem committere, arg. l. 8. C. de pat. conv. l. 21. C. de procur. l. prin. ad leg. Falcid. Sed queritur de uxore minore 25. annis, aut mente capta, quæ parapherna habet, non receptionum duntaxat, ut male Myns. Hotom. Wesemb. nam ex novis demum constitutionibus est, quod marito paraphernorum quæ uxor specialiter non excepit administratio permittitur, l. 8. l. ult. C. de pat. conv. quod hic adnotare neglexit Tribonianus.

2. Excusare se posse] Sæpe nostri verbo excusandi abutuntur, eosque etiam excusari

ajunt qui tutores aut curatores esse non possunt; ut cum dicunt inimicitias capitales præstare excusationem, seu *divisum ad quos invigilant*, §. 11. Inst. hoc tit. l. 6. §. 17. ff. eod. item, patrum cum pupillo de hereditate contententis excusationem recipiendam, l. 20. eod. lumbibus caprum, mutum, surdum, furiosum excusationem habere, l. un. C. qui morbo. quos omnes tamen certum est tutelam gerere non posse, l. 3. §. 12. ff. de susp. tut. l. 17. C. hoc tit. cujus eadem effectu species est cum ea quæ hic proponitur; nihil enim refert uxori maritus an socer nurui curator detur. Hoc autem loco Justinianum verbo excusandi abusum esse constat ex l. 2. C. qui dat. tut. item ex l. 14. de cur. fur. quæ aperte negant maritum uxori curatorem creati posse. Quæ ideo moneo, ne quis putet in arbitrio mariti positum esse aut se excusare, aut omisa excusatione curam uxoris suscipere; & in universum ne quis credat certum esse argumentum tutoris jure dati, quod excusationem habere dicatur. In tantum autem maritus prohibetur uxori suæ curator constitui, ut si constitutus prudens se immisceat, infamiam labem contrahat; sicut & illi infames sunt qui contra Senatusconsultum pupillam vel adultam sibi matrimonio jungunt, eadem enim utriusque prohibitionis ratio est, ne scilicet fraus administrationis tegatur, dum uxor vel propter blanditias mariti nolet, vel propter metum ejus non audebit ab eo exigere rationes, l. 4. & 17. C. hoc tit. junct. l. 5. & 7. C. de interd. matr. l. 64. §. 1. ff. de rit. nupt. Dubito autem cum Bichovio an hæc posterioribus constitutionibus consentanea sint.

Licet se immisceat] Qui excusare se potest, si si neglecta excusatione se miscuerit administrationi, postea se excusare volens non auditur, quasi juri suo tacite renuntiaverit, l. 17. §. 5. ff. hoc tit. l. 2. C. si tut. fals. alleg. Sed hoc locum habet in iis qui tutores aut curatores recte dati sunt, quorum etiam propria est excusatio; nam qui tutores aut curatores esse non possunt, etiamsi se

immiscuerint, excusantur aut remouentur, l. 20. hoc tit. §. 13. Inst. sup. eod. Atque hæc quidem Jure Romanorum ita se habent. VINN. Ceterum totius ferme Europæ usu mulier in potestatem & tutelam mariti transit; quod etiam Hispanorum moribus consentaneum esse multis argumentis ostenditur. Sane marito 18. annis majori administratio bonorum mulieris expresse conceditur, l. 14. tit. 1. lib. 5. Recop. nec ea nisi consentiente marito contrahere, l. 2. tit. 3. ejusd. Libri, aut in judicio stare valet nisi impetrata ab illo venia d. l. 2. Præterea maritus uxoris nomine recte convenitur & convenit; unde formula apud nos usitata *como marido i mai conjunta persona*: quæ hujus quam diximus tutelæ argumenta sunt luculentissima, ut jam non addam, frustra tutorem adhiberi cum bonorum societas inter conjuges inest, æqua utriusque sit sors, damna lucraque communia, ll. 1. & 3. lib. 3. fari legg. tit. de las ganancias. Atque hanc sententiam tenet Antonius Perez ad tit. Cod. qui hab. legit. person. stan. in jud. ADDIT.

TEXTUS.

De falsis allegationibus.

20. Si quis autem falsis allegationibus excusationem tutelæ meruerit, non est liberatus onere tutela.

L. 8. tit. 23. Part. 3.

COMMENTARIUS.

Decretum quo tutor falsis allegationibus usus absolutus est ipso jure nullum est, neque cum periculo tutelæ eximit, ll. 1. & ult. C. si tut. fals. alleg. quod favore pupillorum ita constitutum esse credendum est. Nam regulariter sententia ex falsis allegationibus lata ipso jure non est nulla, sed adversus eam, si provocatum non sit, pendenda est restitutio, arg. l. 35. de re judic. & tot. tit. C. si ex fals. instrument.

TITULUS XXVI.

DE SUSPECTIS TUTORIBUS VEL CURATORIBUS.

Dig. lib. 26. tit. 10. Cod. lib. 5. tit. 43. Part. 6. tit. 18.

Continuatio & summa tituli.

EX tribus quæ ad tutores & curatores communitur attententia Justinianus tractanda suscepit, duo exposita sunt, satisfactio, & excusatio. Superest tertium & ultimum, suspecti tutoris vel curatoris accusatio & remotio, quod hoc postremo hujus libri titulo nunc explicat. Ostendit autem strictim unde ea accusatio descendat, qui, apud quos, & à quibus accusari possint; inde qui sint suspecti, & quibus ex factis tales arguantur & removeri debeant docet; ac promiscue quæ hujus accusationis remotioque sit vis atque potestas.

TEXTUS.

Unde suspecti crimen descendat.

Sciendum est suspecti crimen ex lege XII. tabularum descendere.

COMMENTARIUS.

Suspecti crimen ex lege duodecim tab.] Ex Ulpian. l. 1. §. 2. hoc tit. Eoque pertinere creditur quod Cicero scribit 3. de offic. cap. 13. dolum malum etiam legibus fuisse vindicatum, ut tutelam duodecim tabulis. Crimen autem hoc loco & apud Ulpian. pro criminatione sive accusatione poni certum est; neque insolens est ista hujus verbi significatio. Sic enim accipitur in l. 7. de accus. l. 5. de calumn. l. 2. de tenat. Silan. & apud Cic. pro Rosc. Amerin. Tria sunt, inquit, quantum exilium possum; quæ obstant hoc tempore Sexto Roscio, crimen adverteriariorum, & audacia, & potentia. Quamobrem licet Theophil. recte verterit *καταγορία* (accusationem), causa tamen non erat: cur interpretem ejus Curium, novumque utriusque paraphræseos editorem Gothofredum carere Bachovius quod in Latina versione crimen retinuerint.

TEXTUS.

Qui de hoc crimine cognoscunt.

1. Datum autem est jus removendi tutores

suspectos Rome prætori, & in provinciis præsidibus earum, & legato proconsulis.

L. 2. in fin. tit. 18. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. Etiam apud eum cui mandata est jurisdictione suspectum postulari posse.

Datum est] Hoc non ita accipiendum est quasi jus de suspectis tutoribus cognoscendi eosque removendi speciali aliqua lege aut senatusconsulto prætoribus aut præsidibus datum sit: quemadmodum cum dicimus jus dandi tutores alicui datum esse, hoc sic accipimus datum esse nominatim vel à Principe, vel lege, vel senatu, ll. 1. & 3. de tut. & cur. dat. l. 6. §. 2. de tut. sed hoc jus removendi tutores prætoribus & præsidibus more concedi propter vim imperii, hoc est, iis competere vi & potestate magistratus sui sive jurisdictionis, ut de iudicis dandi licentia quam iidem magistratus habent, scriptum est in l. 12. §. 1. de iudic. Etenim longe alia ratio est tutoris dandi, alia removendi. Datio tutoris jurisdictionis non est, quæ de causa nec mandari potest, d. l. 6. §. 2. l. 8. de tut. & cur. dat. Cognitio de suspectis & remotio jurisdictionis est; eaque sive in specie sive in genere mandata, in eum cui mandata est transit, l. 4. in pr. de off. ejus cui mand. l. 1. §. 5. hoc tit. Rursus jus dandi tutoris etiam magistratibus municipalibus certa lege concessum est, l. 3. de tut. & cur. dat. §. 4. & 5. Inst. sup. de Attil. tut. At de suspecto cognoscere soli possunt magistratus majores, l. 1. §. 11. ad senat. Turpil.

1. Legato proconsulis] Legato quoque proconsulis de suspecto cognoscendi jus est, non ut specialiter ei concessum, sicut tutoris datio oratione D. Marci, l. 1. §. 1. de tut. dat. sed tanquam consequens jurisdictionis à proconsule mandata, l. 1. §. 4. hoc tit. ff. de off. ejus cui mand. est jurid. in qua lege quod Maccr adjicit, propter utilitatem pupillorum, non

DE SUSPECTIS TUTORIBUS VEL CURATORIBUS.

non sic accipiendum est, quasi utilitas pupillorum contra juris rationem hanc sententiam extorsit, sed quod hic cum ratione illa generali ex qua mandata jurisdictione totum officium juris dicendi transit, etiam concurrat ex accidenti pupillorum utilitas; quorum scilicet interest ut plures de suspecto cognoscere possint, ne diutius perditus tutor in patrimonio pupilli grassetur. Pari ratione & si prætor mandaverit jurisdictionem, poterit apud eum cui mandata est suspectus postulari, d. l. 1. §. 4. vers. ergo. Idemque omnino dicendum si præses mandaverit. Nec est contrarium quod apud Marcianum l. 1. §. 11. ad senat. Turpil. legitur, suspecti tutoris accusationem pro tribunali tantum examinari posse, & nullam aliam de hujusmodi questione quam præsidem posse pronuntiare. Nam cognoscere & pronuntiare eo cui mandata est jurisdictione, ipse qui mandavit cognoscere & pronuntiare intelligitur; & ille hujus vice non sua fungi, l. 1. §. 1. l. 3. de off. ejus cui mand. l. 16. de jurid. l. 1. §. 1. qui à quo app. Solam excludere voluit Marcianus magistratus inferiores in municipiis & civitatibus, qui pro tribunali, ubi hæc questio disceptanda, non cognoscunt, licet jurisdictionem aliquam habeant. Sic in l. 105. de reg. jur. que etiam ad propositam speciem pertinet, cum prætor desiderari dicitur ubicumque causæ cognitio necessaria est, non excluditur is cui a prætore jurisdictione mandata est, sed diudiviri, sive magistratus municipales quibus ea quæ majoris cujusdam potestatis sunt facere non licet, l. 26. ad mun. junct. ll. 1. & 4. de damn. inf. VINS. Licet in fin. diff. l. 2. tit. 18. Part. 4. dictum sit delante del juez mayor del lugar do ha el mazo sus tamos; tamen dubium non est iudices ordinaros de hac causa cognoscere posse, cum & ipsi plenum imperium habeant, argum. l. 17. venus l. 1. Part. 7. Verumtamen & ad regios Convenus cognitio deferri poterit; privilegio enim gaudent pupilli, quod nos caso de Corte appellamus, l. 9. tit. 3. lib. 4. Recop. ADDIT.

TEXTUS.

Qui suspecti fieri possunt.

2. Ostendimus qui possint de suspecto cognoscere; nunc videamus qui suspecti fieri possint. Et possunt quidem omnes tutores fieri suspecti, sive sint testamentarii, sive non sint, sed aliter generis tutores, Quare est legitimus fues- Tom. I.

rit tutor accusari poterit. Quid si patronus? Adhuc idem erit dicendum, dummodo meminimus famam patroni parcendum esse, licet ut suspectus remotus fuerit.

L. 2. tit. 18. Part. 6.

COMMENTARIUS.

Possunt quidem omnes tutores] Item omnes curatores, sive adolescentis sive fuvioli aut prodigi curam gerant, l. 3. §. 2. eod. sed & curator veniri datus suspectus postulari potest, diff. l. 3. §. 1. Locus hic descriptus est ex l. 1. §. 5. eod. Quare est legitimus] Indicare videtur facilis tutores testamentarios & dativos ut suspectos accusari & removeri posse quam legitimos, eosque qui vinculo necessitudinis aut affinitatis pupillo necessitatis sunt; quibus potius curator adiungendus est, quam ut notata fide atque existimatione removeantur, l. 2. ff. hoc tit.

Fama patroni parcendum] Quod de patrono hic dicitur, idem vel magis ad parentem pertinet; & fortassis ne postulari quidem suspectus parens poruit, sed simpliciter curator ei adiungendus fuit. Illud constat, liberto & filio semper honestam & sanctam personam patris & patroni videri debere, l. 9. de obr. par. & patron. Atque hinc esse quod nullæ actiones famosæ, ac ne illæ quidem quæ fraudis vel doli ullam mentionem habent, adversus parentes patronosque institui possunt; sed ex quibus causis actio in alios famosa datur, ex iisdem adversus illos in factum datur, ommissa doli mentione, l. 11. de doli. l. 2. l. 5. §. 1. d. tit. l. 1. §. 43. de vi & vi arm. quod in proposito proclive est eo quod hæc actio natura sua famosa non sit. Vid. l. 3. §. ult. cum l. seq. & l. 9. hoc tit.

TEXTUS.

Qui possunt suspectos postulare.

3. Consequens est ut videamus qui possint suspectos postulare. Et sciendum est quasi publicam esse hanc accusationem, hoc est omnibus patere. Quinimmo mulieres admittuntur ex rescripto Divorum Severi & Antonini; sed hæc sola quæ pietatis necessitudine dulle ad hoc procedunt; ut puta mater, nurix quoque & avia; potest & soror. Sed & si qua alia mulier fuerit quam prætor propensia pietate intel-

leceat sexus verecundiam non egredientem sed pietate productam non sustinere injuriam pupillorum, admittat eam ad accusationem.

L. 2. tit. 18. Part. 6.

COMMENTARIUS.

Descripta hæc sunt ex Ulpiano, l. 1. §. 6. *boc tit.* Ait quasi publicam, quæ nota est improprietas. Revera enim hæc accusatio publica non est. Nam sive finem ejus spectes non persequitur injuriam Reipub. illam sed pupillo; sive formam & executionem non extra ordinem a præfecto urbis aut præsibus de hoc crimine prætoris, ut de criminibus publicis, l. 8. de publi. jud. l. 1. §. ult. de priv. sed ut de re pecuniaria in privatiis iudiciis a prætoribus vel præsidibus, sive quibus ab his mandata est jurisdictione, arg. l. ult. de priv. del. Ad hæc qui publico iudicio aliquem reum facit, is subscribere in crimen quod intendit debet, l. 3. §. 1. de accus. & desistens ab accusatione incidit in senatusconsultum Turpilianum, quorum neutrum est in postulatione suspecti, d. l. ult. de priv. del. l. 1. §. 11. ad Turpil. Curcigitur hæc accusatio dicitur publica; Nimirum quia publice similis est in eo quod omnibus patet, quod publicarium proprium est, §. 1. Inst. inf. de publi. jud. Cui addi & alterum potest, quia & nullo accusante ipse magistratus ex officio manifeste suspectum repellere potest, d. l. 3. §. 4. *boc tit.* junct. l. 1. §. ff. de off. pres. l. 1. in pr. C. de cust. reor. Christin. volum. 3. decii. l. 17. num. 1.

Mulieres admittuntur.] Contra morem iudiciorum. Et notandum est quod ad hæc accusationem admittuntur non est tantum mulieres quæ pupillo necessitudinis aliquo vinculo junguntur, verum etiam quævis alie quas modo commendat pietas & verecundia; ut intelligamus majorem esse suspecti tutoris accusandi licentiam quam criminis publici iudicii intendendi; quippe cum mulieri permissum non sit publico iudicio quemquam reum facere, præterquam si suam aut suorum injuriam persequatur, l. 1. §. 2. ff. de accus. l. 12. C. qui accus. non poss. In tantum pupillorum gratia a consuetudine iudiciorum deflexum est. Athenis quoque publica erat hæc actio, Jul. Poll. 8. cap. 6. quod ex Platonis lege descendit, l. 11. de legib.

TEXTUS.

An pubes vel impubes.

4. Impubes non possunt tutores suos suspectos postulare; puberes autem curatores suos ex consilio necessariorum suspectos possunt arguere; & ita Divi Severus & Antoninus rescripserunt.

L. 2. tit. 18. Part. 6.

COMMENTARIUS.

Hæc eadem traduntur in l. 7. ff. *boc tit.* l. 6. C. eod. Ait impubes non possunt &c. In postulandis suspectis tutoribus principaliter pendendum est an quid segniter aut fraudulenter gerant, l. 5. C. eod. in quo cum animi iudicio opus sit, mirum non est impubes ad hæc accusationem non admitti uti ut culpæ mores tutoris sui a quo ipsi regi debent. Sufficit hæc accusationem omnibus patere, ipsunquæ adeo prætorum per se tutorem repellere posse, l. 3. §. 1. in fin. & §. 4. eod.

Puberes autem curatores suos.] In rebus que privati iudicii questionem habent, sicut pupillos auctore tutore, ita & adultus curatore consentiente liem & intendere & excipere debet, l. 2. C. qui leg. pert. Publica accusatio pupillis omnino non patet, l. 8. de accus. nisi quod eis speciatim concessum est ut de consilio tutorem mortem patris exequantur, l. 1. §. 1. d. tit. Puberes vero etsi & ipsi regulariter publico iudicio accusare non possunt, l. 4. C. de auct. prest. possunt tamen curatore auctore si suam suorumve injuriam persequantur, l. 1. §. 6. ff. ad leg. Jul. de adul. l. 7. C. eod. l. 1. ff. de accus. Gloz. in d. l. 4. C. de auct. prest. Quapropter si in hoc quoque accusationem suspecti similem esse volumus accusationi publicæ, videtur poterit nihil esse in proposito speciale, quia suam injuriam minor persequitur qui curatorem suum suspectum facit.

Ex consilio necessariorum.] Quorum in ea re prescriptum minor sequitur. Quod si illi nolint in accusationem consentire, iudicis à minore aditi officium erit videre ne quid detrimenti minor capiat, arg. l. 23. §. 6. sol. matr. & ibi Bar. Canticula & Myns. bic.

TEXTUS.

Qui dicatur suspectus.

5. Suspectus autem est qui non ex fide tu-

DE SUSPECTIS TUTORIBUS VEL CURATORIBUS.

telam gerit; licet solvendo sit, ut Julianus quocripiit. Sed & antequam incipiat tutelam gerere tutor, posse eum quasi suspectum removeri idem Julianus scripsit; & secundum eum constitutum est.

L. 1. tit. 18. Part. 6.

COMMENTARIUS.

Hoc §. in genere docet Imp. quis sit suspectus, & unde talis esse deprehendatur. Ait, suspectum esse qui non ex fide tutelam gerit; quod sic accipimus, non tantum si fraudulenter & callide in rebus pupilli versetur, sive quastus aut commodi ter aut segniter; sed etiam si neglig-negligentia quæ opo-ret l. 3. §. ult. ff. *boc tit.* l. 4. C. eod. Nec tutori quicquam prodest quod solvendo sit, quod satisdederit, vel nunc offerat; non enim ex patrimonio principaliter sed ex moribus suspectus estimandus est, l. 5. & 6. eod. d. l. 5. C. eod. §. ult. Inst. inf. *boc tit.* & pupillo semper utilis est sic ei prospici ut ab initio nullum dampnum sentiat, quam ut postea laboret de consequenda indemnitate, arg. l. ult. C. in quib. caus. in int. rest. non est nec. quod Papinianus noster sic expressit: expedit pupillo rem suam salvam habere, quam tabulari rem salvam fore cautionis, d. l. 5. eod.

Antequam tutelam gerere incipiat.] Puta si vel satisdare nolit, l. 1. & 3. C. de tut. qui sat. non ded. vel contumax sit, l. 3. C. *boc tit.* vel si ob ignaviam aut negligenciam non gesserit, aut dolo fecerit quominus gereret, l. 4. §. ult. eod. & generaliter si qua justa causa sit ut eum videtur rejiciendus, arg. l. 5. §. 2. eod. VINN. Inprimis huc pertinet casus in l. ult. *boc tit.* item mores qui suspicionem negligencie vel doli injiciant, §. ult. *boc tit.* HELN.

TEXTUS.

De effectu remotionis.

6. Suspectus autem remotus, siquidem ob dolum famosus est; si ob culpam non æque.

L. 4. tit. 18. Part. 6.

COMMENTARIUS.

1. Culpæ nomen & generale est & speciale.

2. Genera culpæ obiter distincta atque exposita.
3. Ob latam culpam remotus an famosus fiat.

Acusationis finis est remotio. Ceterum pro qualitate cause & admisi, alii simpliciter removeantur, alii cum nota infamiae, alii etiam aliter & nonnumquam gravius puniuntur. Qui salva aut notata existimatione removeantur ostenditur hoc §; proprie potest adversus quos constituta sint, §. 2. & 2. seqq. Inst. inf. *boc tit.*

Siquidem ob dolum.] Ait, remotus ob dolum famosus esse, ob culpam non æque. Dolus est quævis calliditas & machinatio ad alium circumvenendum adhibita, l. 1. §. 2. de dol. Culpæ est omne factum quod nocet alteri injuria, ἀπολαύτως, id est sine animo & proposito fraudandi.

1. Etsi enim culpa generali significatione etiam dolum continet teste Cic. lib. 1. de offic. c. 26. cavendum, ne major pena sit quam culpæ; in lege Aquilia constat culpæ nomine etiam dolum venire, l. 5. §. 1. junct. l. 30. §. pen. ad leg. Aquil. in specie tamen accepta à dolo distinguitur, ut factum inconsultum à consulto & malicioso.

2. Genera culpæ tria in jure nostro memorantur, lata, levis, levissima. Lata culpa est non providere curare cavere quod omnes qui modo sensu communi præditi sunt provident & intelligunt se curare debere, l. 213. §. ult. l. 223. de verb. sign. l. 32. de post. l. pen. §. 2. de jur. & fact. ign. Atque hæc plerumque ἀπολαύτως dicitur culpa dolo proxima, l. 8. §. 3. de precar. l. 8. pr. de edict. l. 1. §. 2. si in qui rest. lib. Levis, est omisio diligentie quam vulgo homines fugi in suis rebus adhibere solent, l. 5. §. 16. fam. ercic. l. 1. de tut. & rat. distr. l. 8. §. 4. de obl. & ad. Levissima est, omisio ejus diligentie quam in suis rebus præstare solet diligentissimus paterfamilias; & ferre per oppositum indicatur, cum diligentia præstari dicitur simpliciter, l. 5. §. 2. commod. l. 23. de reg. jur. quod loco magis opportuno latius explicabitur lib. 3. Inst. tit. 15. §. 2. n. 7. & seqq.

3. Culpæ autem nomine non intelligit hic Imperator culpam latam, sed leviorum; siquidem lata culpa, præterquam in crimine corporalem poenam ingereute, l. 7. ad leg. Corn. de ricar. semper dolum interpretatione juris representat, l. 226. de verb. sign. d. l. 32. de p. l. 1. §. 1. si mens. fals. mod. l. 8. §. 3. de prec. l. 1. §. 5. de obl. & ad. etiam in fa-

no por engañó que hubiere hecho à sabiendas, mas porque fuisse óme perseguido è de mal recabdo, e nonce no seria por ende enfanado. **ADDIT.** Illud constat causam remotionis decreto exprimentam esse, ut appareat de estimatione; nam si causam remotionis non significaverit decreto suo prator, fama remoti non læditur, l. 4. §. 1. & 2. eod.

TEXTUS.
De effectu accusationis.

7. Si quis autem suspectus postularur, quoad cognitio finiatu interdicitur ei administratio, ut Papiniano vitum est.

L. 3. tit. 18. Part. 6.

COMMENTARIUS.

Pendente causa cognitionis interdicitur tutori administratio, atque alius interea in locum ejus in administratione rerum ordinatur, l. 7. C. hoc tit. ipsaque adeo postulatione suspecti etiam citra decretum id effici videtur, l. 14. §. 1. in fin. de solut. Et recte: nam ut suspectum non convictum in totum removeri iniquum est, ita cum qui in suspicionem lite instituta vocatus esse perseverare in administratione non expedit. Ajo lite instituta; neque enim proximus allegata causa suspicionis tutori interim auferenda administratio; sed ita demum si concurrant aliqua indicia super quibus tutor auditis sit & licem contestatus, quod & DD. plerique tradiderunt. **VINN.** Et probat *dist. l. 3. tit. 18. Part. 6. ADDIT.*

TEXTUS.

8. Sed si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaque tutor vel curator accesserit; extinguatur suspecti cognitio.

COMMENTARIUS.

In hac postulatione nihil petitur quod pupillo ex bonis tutoris adjudicetur, sed hoc tantum ut tutor removeatur à tutela; quo remoto, si quid damni ex mala ejus administratione pupillus senserit, id sarciri potest actione tutela; cui ut locus fiat actio suspecti instituitur: quoniam durante tutela tu-

tutela agi non potest, l. 4. de tut. & rat. dist. Quibus consequens est, finita quomodocumque tutela solvi cognitionem suspecti quamvis pridem receptam, l. pen. C. hoc tit. l. 1. C. eod. In quo item similis hæc accusatio videtur criminali, quæ ipsa excepto licet judicio regulariter morte rei extinguatur, l. ult. ad leg. Jul. maj. ll. 1. & 2. C. si reus vel accus. mort. Nam in causa civili licet poena quoque petatur, actio judicio semel inclusa salva semper permanet, atque in solidum transit in heredem, l. 26. de ol. & ad. l. 139. de reg. jur. §. 1. Inst. inf. de perp. & temp. ad.

TEXTUS.**De effectu accusationis.**

7. Si quis autem suspectus postularur, quoad cognitio finiatu interdicitur ei administratio, ut Papiniano vitum est.

L. 3. tit. 18. Part. 6.**COMMENTARIUS.**

Pendente causa cognitionis interdicitur tutori administratio, atque alius interea in locum ejus in administratione rerum ordinatur, l. 7. C. hoc tit. ipsaque adeo postulatione suspecti etiam citra decretum id effici videtur, l. 14. §. 1. in fin. de solut. Et recte: nam ut suspectum non convictum in totum removeri iniquum est, ita cum qui in suspicionem lite instituta vocatus esse perseverare in administratione non expedit. Ajo lite instituta; neque enim proximus allegata causa suspicionis tutori interim auferenda administratio; sed ita demum si concurrant aliqua indicia super quibus tutor auditis sit & licem contestatus, quod & DD. plerique tradiderunt. **VINN.** Et probat *dist. l. 3. tit. 18. Part. 6. ADDIT.*

TEXTUS.**Quibus modis cognitio finitur.**

8. Sed si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaque tutor vel curator accesserit; extinguatur suspecti cognitio.

COMMENTARIUS.

In hac postulatione nihil petitur quod pupillo ex bonis tutoris adjudicetur, sed hoc tantum ut tutor removeatur à tutela; quo remoto, si quid damni ex mala ejus administratione pupillus senserit, id sarciri potest actione tutela; cui ut locus fiat actio suspecti instituitur: quoniam durante tutela tu-

DE SUSPECTIS TUTORIBUS VEL CURATORIBUS.

cuni ex earum rerum venditione redarta pupillo interim alimenta constituantur. Quod si hoc remedio & edictis evocatus tutor vinci & adigi non possit ut veniat suorum copiam faciat, tum non tantum quasi contumacem sed etiam ut suspectum removeri cum oportet; quod tamen & perarato & diligenti habitata inquisitione faciendum esse monet **Ulp. l. 7. §. pen. & ult. hoc tit.** Acque hic quoque sensus est hujus loci, & l. 3. §. 14. eod.

TEXTUS.

Si neget alimenta decerni posse, vel tutelam redemerit.

TEXTUS.

Si tutor copiam sui non faciat.

9. Si quis tutor copiam sui non faciat ut alimenta pupillo decernantur, cavetur epistola Divorum Severi & Antonini ut in possessionem bonorum ejus pupillus mittatur; & que morâ deteriora futura sunt, dato curatore distrabi jubentur. Ergo ut suspectus removeri poterit qui non prestat alimenta.

L. 1. tit. 18. Part. 6.**COMMENTARIUS.**

Quia alimenta pupillo non temere decernenda sunt, sed causa cognita, quam rem prator pro modo facultatum pupilli, quas tutor ex vero profiteri jubetur, moderari & expedire debet, l. 3. ubi pup. educ. ideo adversus tutorem qui ne alimenta pupillo decernantur sui copiam non facit propria poena constituta est, eadem nimirum quæ adversus debitores latitantes, ut pupillus rei servandus causa in possessionem bonorum tutoris mittatur, quomodo mitteretur creditor in possessionem bonorum debitoris qui absens non defenditur, ex edicto quib. ex caus. in post. bon. eat. Quin & plus hic tribuitur pupillo quam aliis creditoribus: quippe quibus in possessionem missis nuda tantum rerum debitoris custodia & observatio interim conceditur, l. 12. quib. ex caus. in post. donec ob contumaciam perseverantis sui copiam non facere, prator de consensu creditorum, curatore constituto, bona distrabi permittat, tot. tit. ff. de cur. bon. dand. Pupillo autem in possessionem misso, simul quæ morâ deteriora futura sunt ex bonis tutoris dato curatore distrabi jubentur; atque, ut arbitror, ut ex pe-

culi ex earum rerum venditione redarta pupillo interim alimenta constituantur. Quod si hoc remedio & edictis evocatus tutor vinci & adigi non possit ut veniat suorum copiam faciat, tum non tantum quasi contumacem sed etiam ut suspectum removeri cum oportet; quod tamen & perarato & diligenti habitata inquisitione faciendum esse monet **Ulp. l. 7. §. pen. & ult. hoc tit.** Acque hic quoque sensus est hujus loci, & l. 3. §. 14. eod.

TEXTUS.

Si neget alimenta decerni posse, vel tutelam redemerit.

10. Sed si quis prærens negat propter inopiam alimenta posse decerni, si hoc per mendacium dicat remittendum cum esse ad præfectum urbi puniendum placuit, sicut ille remittitur qui data pecunia ministerium tutela acquisierit vel redemerit.

TEXTUS.

De liberto fraudulenter administrante.

11. Libertus quoque si fraudulenter tutelam filiorum vel nepotum patroni gessisse probetur, ad præfectum urbi remittitur puniendus.

COMMENTARIUS.

Diximus non multo ante tutores pro qualitate facti vel simpliciter removeri, vel cum infamia, nonnumquam etiam gravissimum coërceri: quod sic in his delictis, si quis prærens negaverit pupillo quasi inopi alimenta decerni posse, & datis pupillo advocatis mendacii convincatur; si quis tutelam corruptis ministeriis pratoris redemerit; si libertus fraudulenter tutelam filiorum patroni gesserit, quæ tria his §§. proponuntur ex l. 2. & l. 3. §. 15. hoc tit. Sunt autem plura, ut si quis pretio accepto operam dederit ut non idoneus tutor pupillo daretur; si consilio circa patrimonium edendum quantitatem minuerit; si evidenti fraude pupilli bona alienasse probetur, l. 1. §. 7. de off. pref. urb. l. 9. de tutel. Hos omnes traditum est severiore animadversione indigere quam ut sufficiat eis suspectorum infamia; ideoque ad præfectum urbi solitos remitti extra ordinem puniendos, *ad. hoc & pena scilicet corporalis;* nam multa dicenda jus etiam pratori ceteris-

risque qui jurisdictionem habent competit, l. 2. §. ult. de judic. l. 131. §. 2. de verb. sign. Graviorem autem omnium animadversionem sive imperium quod dicitur meram praefectura urbis sibi vindicavit, d. l. 1. de off. praef. VINN. Missiones in possessionem bonorum in desuetudinem abierunt; sed & horum rextuum severitas ab usu recessit. Hodie adversus suspectos tutores summarie cognoscitur, nec diutius grassandi in re pupilli facultatem habeant. ADDIT.

TEXTUS.

Si suspectus satis offerat, & quis dicitur suspectus.

12. Novissime autem sciendum est eos qui fraudulenter tutelam administrant etiam si satis offerant removendos esse à tutela; quia satisfactio tutoris propositum malevolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatem praestat. Suspectum etiam eum putamus qui moribus talis est ut suspectus sit. Enimvero tutor vel curator quamvis pauper sit, fidelis tamen & diligens removendus non est quasi suspectus.

L. I. tit. 18. Part. 6.

COMMENTARIUS.

[Tiam si satis offerat] De eo dictum sub §. 5. Inst. sup. hoc tit. Ut autem neque divitiarum neque satisfactio tutorem à suspitione liberant, ita nec ex adverso eum onerat paupertas. Nam etsi pauperi, qui se imparem oneri imposito docere possit, vacatio tribui solet, §. 6. tit. preced. aut qui propter ino-

piam satisfacere non potest removendus est, l. 2. C. de tut. qui sat. non ded. nunquam tamen paupertatis occasione suspectus postulari, eo-ve nomine moveri debet vir aliqui fidelis & diligens. Ex moribus enim non ex facultatibus suspectum argui convenit, l. 8. hoc tit. l. 5. C. ead. l. 31. §. 1. de reb. auct. jud. post. VINN. Pro coronide de decima jure Hispanico tutori praestanda quaedam admonere placuit; multum enim in hac parte tutela Hispanorum ab illa Romanorum differt. Cum enim in leg. 4. tit. 3. lib. 4. for. jud. & in leg. 2. tit. 7. lib. 3. for. legg. cautum sit ut tutor ratione curae ac laboris quem impendit decimam fructuum sibi assumat; neque tutela apud nos onus dici potest, neque excusatione adeo frequentes; & sexcenta hujus generis alia quae usus comprobavit. De decima jure Hispanico tutori praestanda scripsit Gaspar Baëza librum singularem, bonae frugis plenum à quo haec pauca mutuavi sumus.

Tutor ratione laborum decimam accipit igitur etiam curator minoris, furiosus, & reliquorum omnium qui ipsi per se rebus suis superesse non possunt hoc jus habent. Testamentarius etiam decima hac de causa praestanda est, l. 4. tit. 7. lib. 5. Ord. quae est lex §. tit. 11. lib. 1. Recop. Non tamen ad depositarium, mandatarium &c. hoc decimae jus protrahemus, nulla juris auctoritate suffulti. Tutori cui parens legatum testamentum reliquit, decima non debetur, quod de executore testamenti expresse provisum est in leg. 30. tit. final. lib. 8. Ord. itemque ea carbit tutor qui ab administratione se abstinet, cum ratione laboris impendatur. Qui plura de his desideret, adat eundem Baëzam in opere nuper laudato. ADDIT.

Finis Libri Primi.

ARNOLDI VINNI J.C.
IN LIBRUM SECUNDUM
INSTITUTIONUM IMPERIALIUM
COMMENTARIUS
ACADEMICUS ET FORENSIS.

TITULUS I.

DE RERUM DIVISIONE, ET ADQUIRENDO IPSARUM DOMINIO.

Dig. lib. 1. tit. 8. Cod. lib. 41. tit. 1. Part. 3. tit. 28.

Ratio ordinis, & summa tractationis de jure rerum.

TEXTUS.

Continuatio & duplex rerum divisio.

Superiore libro de jure personarum exposuimus, modo videamus de rebus: quae vel in nostro patrimonio vel extra patrimonium nostrum habentur. Quaedam enim naturali jure communia sunt omnium, quaedam publica, quaedam universitatibus, quaedam nullius, pleraque singulorum, quae ex variis causis cuique adquiruntur, sicut ex subjectis apparbit.

L. 2. tit. 18. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1 An detur tertium genus rerum quae neque in bonis nostris neque extra bona sint.

Omnia hominum qualitate & differentia, expositoque eo jure quod cuique conditione personae suae competit, quod ex tribus circa quae jus omne versatur primum est: transit Imperator ad alterum atque huius proximum, res externas; ut, quod lex methodi exigit, eo ordine singula explicet quo ea proposita sunt §. ult. Inst. sup. de jur. nat. gent. Habet autem hic titulus duplicem inscriptionem, De rerum divisione; & de acquirendo ipsarum dominio. Nimirum quae duobus distinctis titulis in π^o tractata sunt, ea in unum huc reculit Justinianus. Et quia in rebus tantum cuiusque est quantum natura earum & conditio patitur: primo varie eas dividit, ut differentia earum cognita jus quod in iis habemus (qua consideratione rerum tractatio propria est Jurisconsulti) melius intelligatur. Deinde proponit & persequitur modos quibus res quae singulis acquiri possunt singulis adquirantur, initio facto à rebus dominii nostri aut similis in rem juris. Postremo tractat de obligationibus, idque demum tit. 14. lib. 3.

DE rebus] Quid rei appellatione, quae alioqui generalis est, hic significetur docet nos obsectorum juris distinctio: nempe quidquid est extra personam & actiones quod homini usui aut commodo esse possit, sive id divini juris sit sive humani, sive publici sive privati, sive corporale sive incorporale, sive dominium, aut